

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesu Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitutum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Alij Hærretici n. 46

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

In yis, & Bellarmino est Papismi medulla.

45. A WITACKERO *Insigni Hæretico Anglicano in Epist. Dedicatoria ad librum de Verbo Dei, inter plura, & magna Bellarmini nostri, Ecclesiæque Cardinalis, encomia concludit: Nunc edito Bellarmino, melius, & certius cognoscimus, quid illi in quacumque causa teneant, quibus potissimum argumentis nitantur: & quæ sit ipsa quodammodo Papismi medulla, quæ non magis in Papa ipso, quam in Iesuitis inesse creditur.*

Ita apud P. Ramirez in vita Bellarmini. lib. 2. cap. 3. fin.

Sunt Papa Mancipia, & Venatici Canes.

46. AB ALIJS Hæreticis, *Qui Societatis filios, iam Papæ Mancipia, iam Canes venaticos passim proclamant, in summum nostrum decus, & gloriam illud refertur apud Fr. Christoph. Auendaño Carmel. in ser. de Beatif. SS. Ignat. & Xauer. discurs. 3. fol. mibi 85. Istud in lectione Sacra pro anno seculari Societ. typis edita Hispal. ann. 1640. fol. 11. Et Tom. 2. vir. Illust. Societ. in vit. P. Canisij §. 4.*

Cum illis nec ipsi Caluino disputandum.

47. A CALVINISTA *Quodam in Consistorio suo Caluinistico assueranter affirmante, Ne Caluino quidem ab inferis excitato disputandi cum Iesuitis facultatem esse concedendam. Ita in Annal. Soc. ann. 1601. fol. 453.*

Ij ex virtutibus commendantur.

Principue ex obediencia Pontifici, & Generali.

48. A GASPARÉ SCIOPPIO *Sub ouina pelle lupo, ac occulto Hæretico, cuius hæreses P. Albertus ab Albertis recenset in Tomo illo suo, cuius est Titulus, Generales vinditiae aduersus famosos Gasparis Scioppij libellos. Is in Iesuitarum virtutes falcam mittens sic ait: Talis etiam in eis est charitas, qui omnia sua relinquunt, & sequuntur Christum, siue paupertatem, & obedientiam alicui alteri, vel Christi Vicario vount: & non modo bonorum exterorum dominium seu proprietatem, neque modo corporis sui potestatem in perpetuum eiurant, sed etiam voluntatem suam, & quod omnium est potentissimum, mentem, & intelligentiam, Præposito seu superiori suo subiiciunt, ita ut nihil quicquam velint, nisi quod Præpositus iusserit, neque nisi quod eidem visum fuerit, verum esse censeant. Prorsus denique propter Christum se ipsos abnegant, & corpus, animumque in captiuitatem, & seruitutem alterius redigunt in obse-*